

Walter Berschin

*Animarum Silva*

Hoc libello continentur

I	Somnium.....	2
II	De ovo equino.....	6
III	Ambulatio parascevalis ( <i>Karfreitagsspaziergang</i> ).....	8
IV	Carona.....	11
V	Iter Germanicum.....	14
VI	Bananarum manus.....	17
VII	Magistra infirmitas.....	20
VIII	Praemium.....	21
IX	Caseorum institor.....	23
X	'Id vocatur Kranz'.....	25
XI	Vale, mater, semper valetio.....	27
XII	De erinaceo resuscitato.....	30
XIII	Lacus Potamicus.....	32
XIV	'Fabulam!'.....	35
XV	Hortulus.....	37
XVI	Iter Italicum.....	39
XVII	...et alia itinera.....	41
XVIII	Ars venatoria.....	45
XIX	Hispaniola.....	48
XX	Hagion oros Athos.....	51
	Epilogus: Animarum silva ( <i>Seelenwald</i> ).....	54
	Voces et iuncturae minus usitatae.....	56

## I Somnium

Patre, quamquam iam sextum et tricesimum annum duceret, ad bellum evocato mater, quae tertium filium in lucem dederat, sibi persuasum habuit, duos filios maiores ad Ludum pueritiae dandos esse. Erant in nostrâ viciniâ eorum Ludorum duo: alter a monachabus, alter a laicis administratus. Mater – quamquam non irreligiosa – clero et omnigenae institutioni ecclesiasticae diffidens ad Saeculares Sorores, ut dicebantur, nos mittebat. Die constituto panes linebantur butyro – quod secundo anno belli evoluta nondum rarefiebat -, mala lavabantur, perae praeparabantur. Anxii, quid novi immineret, sed consolati, quia alter alteri in periculo subvenire posset, per nemus Wittelsbacher Park vocitatum Paulus et Waltharius primum peregre, id est ad Ludum pueritiae, profecti sunt.

Erant quercus maiores in viâ, ad dexteram et ad sinistram quasi regulâ adhibitâ plantatae, quae laetum tectum viridi coloris inter nos parvulos et altum caelum expandebant. Alacres progrediebamur. At ecce, quid monstri obviam habuimus? Nigro panno obductae duae moniales magnis mitris ornatae, quasi naves ad cursum instructae praecedebant infantes,

qui ibant aequati numero, sed et agmine longo (Waltharius v.44).

Aliae duae monachae sequebantur. O quam bene evenit, ut non istis commendati simus, diximus et velociore gressu ad Ludum nostrum properabamus. Ibi a quibusdam iuenculis comiter excepti cubis ligneis depictis ludebamus et aliquanto post ad consedendum in parvis sedilibus invitati sumus. Haec sedilia orthogonâ formâ posita erant; ante sedilia tabulae seriatim constituebantur, ita ut alteram formam orthogonam efficerent. In uno latere tetragoni tabula praeceptricis eminebat, ex quâ mox imperiosa vox audita est:

- Digitos ad tabulam!

Huius disciplinae insueti imperium parvipendebamus; at mox ferulâ sensibilter docente intelleximus, hac voce sonante sine morâ ambas manus ita ad marginem mensae apponendas esse, ut pollices tabulam ab imo, quattuor digiti reliqui tabulam a summo premerent.

Meridie domum reversi sumus. Mater tantummodo ad momentum temporis nobiscum ad prandium sedit, vix tribus verbis interrogavit, quomodo novus modus vivendi placeret. Negotia urgentia locum non dederunt querelis proferendis. Itaque horâ secundâ post meridiem iterum ad Ludum ivimus; hac vice sine pane, malo, pera. Mox ludebamus cum aliis pilâ sub divo et duabus horis evolutis fessi regressi sumus.

Altera dies quodammodo priorem repetebat: cubis ligneis turre, castella, pontes aedificati sunt, in sedilibus sedendum erat et voce imperiosâ mandatum est:

- Digitos ad tabulam!

ferulâ minitante. Meridie, cum domum iremus, frater voce suppressâ mihi nuntiavit se numquam ad odiosum istum Ludum rediturum. Quid diceret matri, quaesivi?

- Nihil, atrociter respondit.

Bene pransi et parati secundâ horâ post meridiem iterum dimittebamur. Quasi ad Ludum ituri nemus petivimus, ad cuius marginem ecclesia Sancti Antonii duas turre gigantes in altum extollit. Una harum horologio permagno instructa erat, altera campanis, quae clare et suaviter per omnem regionem sonantes tempora metiebantur. Ea signa Paulo fratri apta satis videbantur, ut nos docerent, quando domum redeundi tempus adesset.

Libertate recuperatâ gavisî currebamus per prata et dabamus saltus in arenosis locis. Sedebamus deinde in publicis scamnis et contemplantur non sine sollicitudine viam, quae ad Ludum ducebat; timebamus enim, ne quis adveniret, qui nos inquireret et proderet.

Quam diu hora tertia post meridiem trahebat!

- Domum eamus, ego minor aetate postulabam. Aetate maior econtra docuit ante quartam horam nos reverti non posse, alioquin mater dolum penitus perspiceret. Quam lente, quam pigre horologii indiculus progrediebatur! Testudine tardius tempus exibat. Tertiâ horâ et dimidiâ post meridiem Paulus minorem fraterculum consolatus est:

- Mox redibimus.

Quarta pars horae, quae sequebatur, inter longissima spatia vitae numero. Tandem quinquaginta sexagesimis elapsis horae quartae post meridiem tutus nobis visus est ad domum receptus, si tamen lente, lente pedem referremus.

Domi sonandum erat.

- Deus te protegat, salutavimus matrem portam aperientem, quae perplexa videbatur.

- Iam venistis, pueri, dixit, ante horam quartam?

- Magistra hodie nos paululo ante consuetam horam dimisit, respondimus.

Mater Antonia mendacium necessitate extortum bene perspexit, at, ut sui moris erat, non ad lucem protraxit, sed dissimulavit immo inopinatum reditum filiorum laudavit.

Nocte insequente varios casus, quos per diem expertus eram, somniis repetebam. Haec in somnio visus mihi sum videre: Perâ ornatus, fratre comitante in nemus ibam Ludum pueritiae spernens et praetermittens. Ultra modum hesterni diei progrediebamur – ita somniavi – usque dum ad pontem venimus, qui ligneis assibus et tecto Vindae fluvio superimposita erat et ex imagine cuiusdam galli tectum coronantis Gockelesbrücke vocabatur. Qui pons, cum ei ego somniator appropinquarem, subito se in proclivum dedit, ita ut mox pedibus incedere non possem. Paulus iam natibus sedebat, et ita feci ego. At ligna pontis etiam natibus sedenti nil

firmi praebebant et tam lubrica erant, ut nos indutos braxis corio consertis labi facerent et velociter aquis admoverent. Horribile dictu, pons proclivior iam amplius non se extendebat in directum, sed prope superficiem fluminis flexionem fecit, quam summâ celeritate prolabens sequi non potui. Recto cursu in Vindam fluvium saltum dedi, ubi – o horror – non virides aquae, sed fauces maximi piscis ceti dentibus acutissimis obsitae me parvulum excepere.

Clamore expergefactus sum et ecce: e lectulo cecideram et in plumacio humi iacui. Surrexi, plumacium arripui, portam aperui, parentum cubiculum expetivi, in matris lectulum confugi. O quam bene mihi erat, quam beatus, quam securus ibi requiescebam.

## II De ovo equino

Cum adhuc puer essem sex annorum, et incursiones aerae patriam magis magisque terroribus et incendiis devastarent, mater et avia convenerunt me – et fratres – extra periculum ponendum esse; rebus ambiguis tutam stationem et refugium tranquillitatis ad tempus rure inveniri. Avia a genere materno negotium quoddam Augustae Vindelicae gesserat, quod anno meae nativitatís coacte – quia pecuniam mutuam a Iudaeo quodam acceperat – clausit et abhinc de rebus publicis omnino tacens sese in vicum quinquaginta trium domorum recepit. Viculus iste erat tutissima statio, cui mater et avia me puerulum ad terrorem belli aerei evitandum commendaverunt.

A materterâ magnâ quâdam Bavaricâ per labyrinthum stationis ferroviariae Monacensis perductus Simbach ad Isaram sitam perveni, ubi avunculus magnus curru et equo praeditus nos advenientes iam expectabat. Quam iucunde, quam serene, quam secure fidus admissarius nos per campum, trans pontem, in vicum trahebat, quam pulchra apparebat aviae villula constructa supra collem parvae altitudinis, ad cuius pedem lacus artificialis effossus erat, ubi anseres, anates et quidam pisciculi nutriebantur. Non unum tantum equum avunculus possidebat, sed duos: admissarium et equam. Praeter eos bello flagitante nulli agricolarum in vico habitantium equus remanserat.

Ego iam in raeda sedens fortitudinem, docilitatem, pulchritudinem equi admirans mox cupidine tale animal possidendi motus consobrinos aetate paulo maiores quaesivi, quomodo equum parvulum obtinere possem. Hi responderunt:

- Nihil facilius est, quam equulum sortiri.

- Nihil facilius? incredulus repetivi.

- Tantummodo expectandum est, quoadusque equa ovum pariat; ex ovo equino mox pullus exhibit. Proximum ovum equinum tibi hospiti nostro sine dubio dabimus.

Quo audito nullum diem praetermisi sine sollicitâ visitatione, avidâ consideratione, diligentissimâ perscrutatione stabuli equorum; immo etiam valde mane exurgens antequam scholam adirem, equos visitabam, ovum equinum quaerebam.

Consobrini saepe interrogabant, an ovum equinum iam invenissem; mihi neganti patientiam suadebant, constantiam commendabant, sine quâ nullum esset praemium. Me interrogante, an maioris quantitatis esset ovum equinum an minoris, id sibi non absolute compertum esse responderunt, inter se differre magnitudinem et colorem ovorum equinorum secundum qualitatem matris equae. Dehinc ego iam non semel, sed compluries stabulum visitare, non perfunctorie, sed exactissime paleam examinari, ovum equinum in alto et in profundo, intus et foris, mane, meridie, vespere perquirere.

Praeteriit aestas. Apud aviam septimum diem natalem egi. Venit autumnus. Admissarius et equa plastrum frumento onustum tonitruis reboantibus, fulminibus minantibus in horrea duxerunt imbre ingenti subsequente. Dum avunculus magnus par equorum suorum manibus permulcebat, ego ovum equinum anxie meditabar. Venit magna matertera Monacensis me ad Augustam Vindelicam reductura. Dixi

- Vale

ultimum equis in stabulo, et sine ovo equino abii, tristis.

### III Ambulatio parascevalis

Inde a die 27<sup>o</sup> Martii anni ultimi belli nuntius nullus a patre Ottone advenerat. Sperabatur, orabatur, colligebantur notitiae undecumque. Avia filium desideratum tamquam mortuum – iure, ut probavit tempus – lugebat et acerbissimo dolore affecta diem clausit. Duobus annis post cladem calamitosam e centuriâ, cui pater serviverat, commilitones nonnulli ex captivitate in patriam revertebantur; fessi, infirmi, dilacerati hospites apud nos commorabantur. Narraverunt apud Meiningen in Thuringiâ se hostibus dedisse, at Ottonem patrem paulo ante, ut multi fecerant, vestitu militari deposito reditum ad propria conatum esse. Eum birotâ insidentem viâ, quae Bavariam ducebat, in quâdam silvâ e conspectu evolavisse.

Tandem mater Antonia exspectandi finem fecit et matrimonium cum strenuo artifice Palatino Francisco contraxit, quem secuta in oppidum Korntal prope Stutgardiam unâ cum minore natu filio migravit. Eo bis aut ter per singulos annos tendebam matre hortante, vitrico tolerante. Dies festi erant dies isti fratre procurante, qui iam ad ferroviariam stationem occurrebat, impedimenta portabat, in suum cubiculum me recipiebat et quaecumque legerat, viderat, audierat mecum communicavit. Longissimis deambulationibus delectabamur festive confabulantes.

Ita fecimus uno die parasceve, qui est dies festus principalis apud homines istius regionis. Imbres ceciderant, sed horâ matutinali sol tepide procedens ad ambulandum invitabat.

Gressus dirigebamus ad quendam vicum Ditzingen nominatum. Cum in viâ publicâ vapores automobilium nasum offenderent, inter ambulationem paululum a viâ aberravimus et agrum transeuntes semitam offendimus, quae nos commode in vicum duxit.

- Quam pauci homines hoc in loco visuntur, dixit frater.



- Si tam religiosi sunt ut tui Korntalienses Pietistae, respondi, certe omnes in ecclesiâ commorantur.

Quam diligenter scopis vias, plateas, cortes mundaverant! Erat videre munditiam ibi omnium virtutum esse maximam. In domibus aliquibus et in horreis fasciculos maizae pendentes perspeximus, quorum color flavus oculos nostros percussit. Ut pressius videremus, in cortem quandam, quae clausa non erat, intravimus. Ubi oculi satiati sunt, viâ, quâ veneramus, reversuri ambulabamus colloquentes.

Repente a tergo sonitus caligarum stratam viae vehementer pulsantium auditus est et vox clamantis:

- Sistite gradum! Sistite!

Respicientes vidimus Custodem publicum gressus maturantem, qui, ut nos cursu assecutus est, his verbis salutavit:

- Custodiâ servamini!

Ministrum secuti ad stationem a duobus inquisitoribus strictissime perquisiti sumus:

- Quae nomina?

- Quando nati?

- Et ubi?

- Quibus parentibus?

- Ubi habitantes?

- Quae sunt documenta?

Respondimus ad interrogata. In alio cubiculo casus telephonice agebatur. Tandem nuntiatum est:

- Dimissi estis.

- Sed antequam abeamus, permittite, ut quaeratur: Cur deambulantes nil mali suspicientes homines in Custodiam cogitis?

- Hoc, dicebat unus eorum, qui nos inquisiverat, – hoc alterius cuiusdam impulsu factum est.

- Quo instigante, si quaerere licet?

- Nuntiatum nobis est duos adolescentes, qui aliquid offensionis haberent, agros pervagari aedificia et cortes insolito more inspicere.

- Et quid est, quod vos sive delatorem offendit et nos in suspicionem reddidit? quaesivimus curiosi effecti.

- Calceamenta vestra.

- Calcei nostri?

- Calceamenta vestra lutea, quia nemo apud nos hoc sancto die parasceves pedem ponit in agrum.

Stupefacti viâ, quâ veneramus, per transversum regrediebamur.

## IV Carona

- Visne vacare libris et otio quindecim dies in vico Caronâ?
- De vico huius nominis numquam audivi.
- Est in Helvetiae meridianâ parte, quae terra Ambrosiana dicitur.
- Quae res, quae causa tibi, Guilelme, Caronae tam pulchra, tam conveniens videtur, ut ibi ferias agere intendas?
- Est ibi commodissima villa rustica bibliopolae cuiusdam, cui librum manuscriptum promisi. Mihi proposuit, ut ibi scriberem.

Dictum factum. Fecimus, ut propositum erat. Basileae vidimus artis doctum quendam, qui, quamquam domum amplam cum uxore solus habitaret, mensâ scriptoriâ non utebatur; quâ de causâ ei numquam contigit, ut ea, quae de arte Medii Aevi in animo habebat, in librum componeret. (Ita iocose dixit Guilelmus.) Typographus nos in popinam splendissimam ad convivium duxit; lautissimi cibi et liquores ibi magis ad delectationem et stuporem hospitem offerebantur quam ad famem et sitim sedandam, cum exempli gratiâ non parva pars lagoenae 'Cognac' quibusdam bellariis superfusa incenderetur, ut cibus calefieret. Cenâ peractâ coquus a convivis ad mensam arcessitus est et laudibus ornatus in culinam recessit.

Civitatem Olten ingressi obviam habuimus poetam, qui de angustiâ patriae conquerebatur.

- Nullus in Helvetiâ locus remansit, ex quo non saltem *una* domus conspicitur!

Caronam pervenimus. Domus frigidissima nos exspectabat. In camino ignem alebam a primo mane usque ad noctem, calceamenta tergebam et cerabam, potionem coffeam praeparabam et libros legebam. Secundo sive tertio quoque die volumine perlecto alterum legere incipiebam.

Cum quadragesima esset (anni 1959<sup>i</sup>), cotidie Missarum sollemnia celebrabantur. Non raro ad altare ministrabam. Tunc primum campanae pulsandae erant, quae in Caronae ecclesiâ

more maiorum agitabantur. Turrem intrabam, e cuius fastigio tres funes dependebant. Quorum unum – quem eligerem, sacerdos loci me docuerat – apprehendebam, omni nisu trahebam funem et relaxabam, ut campana moveretur et tandem sonum redderet.

Missâ expletâ in aream ante ecclesiam progrediebamur, montes circumquaque ascendentes aspicebamus, lacum Luganensem colore quodam atro haematitico relucentem contemplabamur. Eo in loco ante ientaculum interdum collationem habuimus de textu Epistolae sive Evangelii, qui paulo ante (latine) lectus erat. Ex eo tempore Missale Romanum maximi habebam, quod numquam legere et relegere me taedebat.

Quasi semper in plateâ senex quidam demens, at mansuetus nobis occurrebat. Is persaepe deorsum in aggerem prospiciebat, qui lacum in partes dividit. Cum per aggerem via ferrata duceret a Mediolano ad partes Septentriones, non raro tractus videbantur, quorum currus numerabat senex ille anxie quaeritans, an inter eos etiam currus sarcinarius traheretur. Eo viso scurra noster iubilabat et exultabat. Et parochus Caronae, qui solus in domo modesta habitabat, libenter in eâdem areâ versabatur.

- Heri cenam singularem mihi praeparavi, dixit.

- Euclea! Enarra!

- Coquebam in ollâ canceres parvos, quos in cellario domus meae inveneram. Antequam comederem, pueri aliqui advenerunt, quorum unus in ollam prospiciens exclamavit: Attende periculum, pater! Non sunt canceres, sed scorpiones!

- Erantne re verâ scorpiones?

- Erant – presbyter noster respondit – et, cum eas bestiolas non novissem, canceres esse credebam.

- Quomodo eas collegisti?

- Apprehendebam situlam, descendi in cellarium, singulas bestiolas manu arripui et in situlam proieci, usque dum vas repletum erat.

- Et nullus scorpionum te caudâ suâ venenosâ pupugit?

- Nullus.

Vere sancta erat anima illa candida.

## V Iter Germanicum

Inde a quinto decimo aetatis anno nullam aestatem praetermisi, quin semel aut bis itineri cuidam me committerem et unâ cum uxore et primogenito et secundo nato consuetudinem peregrinandi ad loca naturâ aut artificio excellentia non deposui, donec didici infantulos domum et hortum praeferre, et parvulis iter ad Lacum Potamicum balneandi et natandi causâ satis superque itineris esse. Laboriosissima peregrinationum mearum erat ea pedestris, quâ una cum Rudolfo amico et Helmut fratre quasi a meridie usque ad septentrionem Germaniam peragravi.

Bambergae die 17<sup>o</sup> augusti anni 1961<sup>i</sup> iter coepimus. Ab oppido Ebern per speciosissimam silvam, Haßberge dictam, viâ herbosâ latâ, quae dicebatur Rennweg, progressi sumus. Pervenimus ad Regium Montem Franconicum, ascendimus montes illos, qui Röhn nominantur. Festuca quaedam minima, antequam pergeremus, cutem dexteræ manus meae penetraverat, quam pure manante mox egressuram sperabam. Nihil eiusmodi factum est; de die in diem dexteram sanientem inutiliorem et molestiorem dolebam. Tandem in loco, qui non inmerito horrido vocabulo Wüstensachsen appellatur, medicum adii, qui more rusticissimo manum invalidam inter genua compressit, nulla anaesthesiâ adhibitâ scalpello incidit, saniem in discum effluere fecit, quem adiutrix quaedam opposuit, vulnus fasciis deligavit et me ita purgatum ad socios remisit.

Quibus fideliter adiuvantibus quandocumque sacciperium dorsale assumendum erat sive deponendum, longum itineris spatium emetiti sumus. Fuldam adivimus et per Hersfeld ad Oberkaufungen pervenimus, ex cuius aditu, cum appropinquaremus, rumor centum vel amplius tubarum resonabat. Miraculum exploraturi ecclesiam intravimus et vidimus chorum bucinatorum tunicis albis vestitorum, qui quandam festivitatem praeparabant – et in locum ab imperatrice fundatum nos accedentes vere sollemniter salutaverunt. Deinde Hercyniam

silvam, vulgo Harz, intravimus. De eâ legeramus nonnulla, quae nos curiosos effecerant et cupidos rerum insuetaram, animum moventium, pulchrarum. Cum harum nullam videremus – quia illae civitates Gernrode, Quedlinburg et Halberstadt iam omnino seclusae erant (nam paucis diebus ante Velum Ferreum mediâ in Germaniâ fragore maximo demissum erat) – taedio affecti sumus. Et cum summâ aestate sol igneus capita exureret, et via se in longum protraheret, et locus quidam amoenus lignis consertus ad consedendum aptus sese offerret, intervallum necessarium esse duximus, quo reficeremur. Postquam paululum comedimus et bibimus, voluptas ludendi nos pervasit. Paginis enim ludebamus quotidie ad vesperam; eâ autem die iam ante meridiem nobis animus erat paginis ludendi.

Paginae iam aliquoties circumierant, cum ecce, saltuarius quidam apparuit, qui nos diu oculis perlustrabat. Nobis quaerentibus, utrum 'Skat' praeferret an 'Schafkopf', homo ab imo corde longa suspiria trahens utrumque negavit et quasi propheta silvaticus nos ita corripuit:

- Quae dementia est sole magno labori non insistere, quae caecitas arvis ridentibus in paginis tantum prospicere, quae surditas avibus cantantibus eadem semper verba percipere: glans (*Eichel*), frons (*Laub*), cor (*Herz*), tintinnabulum (*Schell*)?

Eo dicto oculis flammantibus nos perculit et in silvam umbrosam recedens nusquam comparuit.

Nuntius dei nobis visus est saltuarius iste. Partim contriti partim exhilarati iter aggressi sumus, quod per Goslariam, Bardowiek et Brunsvicam, per loca deserta pagi Lüneburg usque ad Lubecam nos conduxit. Mare, quod olim Teutonicum sive Sarmaticum vocabatur, nunc Orientale dicitur, sudores peregrinationis trium hebdomadarum abluebat. Digredientes votum vovimus: Simul ac Germania dissecata et in frusta divisa una fieret iterum, proxima peregrinatio fieret ab occidente ad orientem inde ab urbe Soest usque ad Regium Montem (*Königsberg*), non hunc Franconicum, quem vidimus, sed illum Prussianum. At numquam

hoc votum solvendum erat, numquam nobis erit persolvendum – quamquam quasi miraculo factum est, ut Germaniae partes occidentalis et media in unam rem publicam redirent.

Audacter dico: Eâ nocte tertii Octobris anni millesimi nongentesimi octogesimi noni, quâ Germania a diro victore discissa et in partes divisa iterum iuncta est, eâ ipsâ nocte ecclesia christiana desiit esse ecclesia populi. Finem fecerunt ministri utriusque confessionis, qui campanas ab eis administratas ad silentium damnaverunt, cum populus Concordiam, Iustitiam et Libertatem decantaret et ea verba in re essent, quae Praefectus quidam Berolinensis in titulum sepulchri elegerat (Ps 125,1):

- Cum converteret dominus captivitatem Sion, facti sumus quasi somniantes.



## VI Bananarum manus

Sero me deus Amor ad sui militiam conduxit. Ut solet, id Cupidine adiutore effecit. Qui Cupido me, ne evaderem, uno et eodem tempore plurimis sagittis sauciavit. Ita factum est, ut Monachii studens semestre quodam aestivali duarum speciosarum virguncularum amore captus essem et propemodum neutram in amorem pellexissem.

- Militat omnis amans (Ov., Am. I 9,1) – at periculum facit, qui binis – immo tribus – aciebus belligerat. Iam antequam Parisius abierat, virgo quaedam affabilis, nitidis oculis caeruleis praedita, passu rapido progrediens sinu generoso pollens placuerat specialiter. Eius assiduitatem admirabar, cum sederet in Seminario opera Augustini perscrutans et Scheleri et Heideggeri. Ita se praeparabat examen subitura apud quendam philosophum, quem turba verebatur et vitabat. Eius alacritatem stupebam, cum eam videbam in curru oppidano medio in grege adolescentularum. Quam non penitus oblitus sum, cum abiret Parisius; cum rediret, gavisus sum et mox eam ad choream invitavi.

Quae chorea ballatio idyllico quodam loco, Seehaus vocato, apparabatur in Anglico Horto. Praescriptus erat vestitus albus aut niger; alii colores ad solemnitatem festivitatis augendam non admittebantur. Ea, quam invitavi, optimâ veste opere denticulato albo ornata apparuit. Ego autem nigrum colorem perosus vestitu fusco utebar et subtus in modum caudae hirundinis sartum amictum chemicum portabam, quem consobrinus Monacensis commodaverat. Horâ progrediente vestitum nigricantem deposui et ita amictum album chemicum detexi ad gaudium iuniorum et seniorum stuporem. Invitus atque coactus hac nocte duabus virginibus inserviebam, siquidem Rudolfus amicus sororem ad choream ducere in mente habuerit, at infirmitate praeventus id ad effectum perducere non potuerit. Ideo ad me reiecerat officium, quod aliis adiuvantibus, ut credo, ita exsolvi, ut amici soror frustrata non esset.

Eo vespere, ut dixi, duabus dominabus servivi, alteri virgini Amoris, alteri virgini amici causâ. Mane facto iam tertia aderat virguncula, quam Coloniae studens noveram, et quae novicia, ut ita dicam, ad Studium Monacense venerat. Eam curialiter salutavi, mille dictis ad studium pertinentibus instruxi et tandem manibus complexam trans viam publicam comitatus sum. Ibi autem

- o Fortuna, velut luna statu variabilis (Carm. Bur. 17)

illa mihi occurrit, quam novissimâ nocte rediens a ballatione osculo fronti impresso mei amoris certiore feceram. Quid facerem, quo me verterem, prorsus nesciebam.

Alteri comiter salutem dixi, alteram manibus tenui, genium Amoris implorans, ut solveret nodum Gordium. Noctem inquietam perpessus altero die magnum fasciculum rosarum rubrarum comparavi, quem birotâ ad regionem 'Borstei' pertuli, ubi virgo illa habitavit, quam sine dubio perplexam reliqueram. Fortunâ adjuvante in eam incidi et serto florum aliquantulum ita exhilaravi, ut interrogare potuerim, an placeret ei excursio birotis explenda ad meridiem versus. Quae verecunde se de hac re deliberaturam esse respondit.

Diebus duobus aut tribus evolutis Fortuna iterum propicia fuit. Adamata mecum communicavit nihil obstare excursioni propositae. Quomodo persuaderem me eam amare et nihilominus alias speciosas virgines non penitus spernere posse? Quomodo risum elicerem? Quomodo indulgentiam obtinerem?

Grates agantur deo Amori, qui mihi in memoriam reducebat, hospitam, in cuius domo habitabam, mihi olim narravisse, ubi 'manus' bananarum maximae quantitatis venderentur: nempe in Maiore Foro rerum venalium. Ibi sabbato facto maximam 'manum' viginti aut eo amplius bananarum comparavi, quam die dominicâ sustentaculo sarcinae birotae imposui. Horâ constitutâ apud amicam apparui. Ea subridebat, cum birotam tantâ mole bananarum

onustam videret. Schäftlarn versus dirigebamur. Obstabant venti et sole ascendente interrogavi:

- Bananam tibi, cara, offeramne?

Si bona sit, libenter accipio.

- Nonne bona?

- Optima.

- Visne alteram bananam, carissima?

- Grate.

- Gaudeo.

- Visne aliam...

## VII Magistra infirmitas

Adolescens bis infirmitates perpessus sum, quae in nosocomio tantum curari potuerunt. Utrâque vice linguis discendis operam dedi et bis lector Latinus effectus sum. Duodevicesimo anno sepsim in silvâ quâdam contraxi, quâ nonnullis hebdomadis laborabam, quibus tertiam decadam Livii, id est Vitam Hannibalis legi. Ab eo tempore familiaris mihi erat sententia

- Victrix causa deis placuit, sed victa Catoni (Lucan. I 128).

Altera vice tonsillae exsecandae erant. Quae tonsillectomia pessimae recordationis me, ut patet, silentiosum effecerat. Habebam mecum aliquos libros, inter quos erat Commemorative vitae S. Severini auctore Eugippio. Libellum istum quinquaginta paginarum parvae formae legere coepi et, cum copia fandi deesset, et lexica sive alia adminicula ad manum non essent, eo ipso die absolvi. Ita factum est, ut uno die, immo tempore postmeridiano, librum Latinum legissem, eo nempe modo, quo librum Anglicum sive Francicum sive Italicum, si nostrâ interest, legimus. Deinceps iterum atque iterum libros Latinos, et praecipue Vitas legi – eo modo, quo librum cuiusvis linguae peregrinae legere consuevimus: rapide, integre, sensum quaerendo, non syllabas aucupando.

## VIII Praemium

Difficile dictu quot et qualia Studiosus audivi, legi, scripsi Monachii, Coloniae, Tubingae, Romae. Primo studium iurisprudentiae eligendum esse putabam; Coloniae positus cognovi hâc viâ me parum profecisse et Monachium reversus me Linguis et Historiae dedi, neque Philosophiam neque Historiam artium neglexi. Examina absolvi Linguae Gallicae, Historiae et 'Rei socialis'; mox ad munus Assistantis aut Linguarum Romanarum aut Historiae Medii Aevi vocabar; sed re consultâ et deliberatâ neutrum suscepi. Iam prioris Medii Aevi monumenta scripta et picta me sibi convinxerant; eorum studiis insistere, in eis persistere in mente habui iam nesciens, quomodo facerem.

Legeram intimationem Academiae Bavaricae, quae praemium promittebat ei, qui texeret historiam Biographiae latinae ab anno quingentesimo post Christum natum usque ad annum millesimum quingentesimum p.Chr.n. Ante diem primum augusti anni 1964<sup>i</sup> exemplar typis conscriptum mittendum esse. Cum mense octobri anni praecedentis examina absoluta essent, novem menses mihi ad hoc opus implendum restare putavi. Quos ita disposui: Tres menses quam multis Vitis legendis, tres menses schedis implendis assignavi; per ultimos tres menses omnia collecta et exarata in unum corpus redigere volui. Et ea, cui me desponsaveram, interdum me dulciter consolatura se esse promisit, quae spes me non fefellit.

Quot insomniis, quot curis, quot dubiis eisdem mensibus laboraverim, vix dicere possum. Causa principalis horum dolorum erat, quia legendo mox certior factus sum historiam litterariam Biographiae Latinae nullomodo anno quingentesimo p.Chr.n. initium sumere posse, cum fundamenta biographica Medii Aevi iam saeculis quarto et quinto posita essent ab Athanasio (Vita B.Antonii), Hieronymo (Vita S.Pauli primi eremitae), Sulpicio Severo (Vita S.Martini) et aliis. Has Vitas temporibus Patrum scriptas non praehistoriam Biographiae

mediaevalis, sed eius *priscam* historiam et partem principalem esse mox intellexi. Ita et scripsi et libero animo in codice meo manuscripto pronuntiavi; Academiam utile argumentum elegisse, id autem minus utilibus annorum numeris sive terminis comprehendisse.

A Guglielmo amico adiutus Coloniae scriptum perfeci. Typographicum manuscriptum ducentarum viginti paginarum et his verbis exeuntem

- pendent opera interrupta minaeque (Virg., Aen. IV 88)

per publicum cursum pridie constitutam diem transmisi. Academia more suo silenter processit. Mensibus insequentibus dissertationi scribendae operam dedi et de Biographiâ paulum cogitavi. At Helmut frater eius oblitus non est. Mense Decembri ad consessum publicum Academiae se contulit, sequentiam nuntiorum aliarumque emanationum doctarum patienter audivit, usque dum ad sententiam de Biographiâ Latinâ Medii Aevi ventum est. Laudabatur opusculum: «Die... angewandte fruchtbare Methode ist vornehmlich die eingehende Analyse von Episoden, in denen Empfindungen und Anschauungen einer Zeit in besonderer Dichte ausgedrückt erscheinen.» At vituperaverunt iudices, quod non, ut Academia voluerat, inde ab anno quingentesimo, sed anno ducentesimo p.Chr.n. coeperam; et opus non, ut condictum erat, ad millesimum quingentesimum, sed tantummodo ad annum millesimum ducentimum produxeram. Cum opus diversum ab eo esset, quod Academia desiderabat, id medietate praemii dignum esse censebant.

Eo audito frater surrexit, mirantibus multis aulam, quae tapetiis Herculis opera illustrantibus ornata est, reliquit et telephonice de felici eventu mecum communicavit.

- Quid magni facies istis quattuor millibus marcarum argenti adiutus?

- Ea pro nuptiis aestate proximâ solvam.

## IX Caseorum institor

Unam causarum, ob quas examinibus superatis munus Universitatis, quod offerrebatur, accipere nec volui nec potui, breviter isto dialogo mense ianuario anni 1964<sup>i</sup> habito cum Historiae Medii Aevi Ordinario depingam.

- Ecce pactio! Restat, ut nomine subscripto sanciat.
- Antequam subscribam, unum favorem tantummodo expeto.
- Quem favorem?
- Ut sabbato in Instituto non serviam.
- Quare?
- Me desponsavi cuidam virgunculae...
- Quam cognovi?
- Non credo, quia Philosophiae et Litteris studebat.
- Cuidam virgunculae...
- Quae longe ab hoc loco, nempe Offenburgi, scholares alas instruit, et quam sabbatis et dominicis diebus visitare desidero.
- Hm (erat enim caelebs, sive melius: abhorrens a muliere ducendâ). Haecne est summa petiti?
- Non ad plenitudinem. Multis annis enim cuidam sodalitati adhaereo, quae Sozialkreis appellatur.
- Hoc quid ad nos pertinet?
- Ea sodalitas cum alterâ aequali Dresdae constitutâ artissime coniuncta est, quam libris et aliis necessariis adiuvat; cum Velum Ferreum amicis Dresdensibus viam ad nos secludat,

nobismetipsis ad eos eundum est. Haec est alia causa, cur sabbato me excusatum haberi vellem.

- Quae causa subito supprimenda est. Si Senatui nostrae Universitatis talia denuntientur, quid dicam EGO? Res confestim supprimenda, protinus annihilanda, penitus excidenda...

His dictis iratus in alium cubiculum secessit. Quattuor hebdomadas pactio sine subscriptione sita erat in mensâ scriptoriâ, paulo post discissa est et deleta.

Alios duos annos more studiosi vivebam, usque dum eo ipso mense, quo primus filius nasciturus erat, munus Assistantis Friburgi Brisgavorum accepi, ubi iam nemo de praesentiâ die sabbati absolvendâ queritabat.

Amicos Dresdenses visitaturus facile limitem superavi, quâ se Res Publica Democratica Germanica, ut dicebatur, circumdederat: Unoquoque autumno omnibus actoribus, institoribus, mercatoribus ad nundinas Lipsienses tendentibus lucri causâ viae patefactae sunt. Cum menses aliquot olim in caseorum repositoio sive cellario laboravissem et huius negotii patronum nossem, facile mandatum accepi, quod certificabat me *caseorum emendorum* causâ Lipsiam proficisci. Eâ papyro protectus Lipsiae et Dresdae publice contionatus sum: Non de caseis Gallicis et Helveticis, sed de Sancto Adalberto Pragensi et eius Vitis a Iohanne Canapario et Brunone Querfurtensi scriptis.

Triginta annis post unus amicorum Dresdensium, cum quo de terrore Sicariorum Secretorum in illâ Re publicâ colloquebar, in verba prorupit:

- Et tu in istorum actis notatus es!

Et re verâ, ut anno 1999<sup>o</sup> demum compertum est, ita erat. Membrum conventiculi cives ad fugam instigantis (*Schleuserbande*) me esse, speculator emissarius quidam scripto notaverat.



## X 'Id vocatur Kranz'

«Es war Glück in der römischen Luft»,  
Wolfgang Koeppen, Vorwort zu Karl Freiherr  
von Rumohr, Geist der Kochkunst, 1966

Tubinga mihi arta et, ut ita dicam, caeca visa est. Totus mundus Tubingensis unâ eâdemque viâ Wilhelmstraße ascendebat et descendebat festinanter. Cum stipendium, quo eo tempore fruebar, studium apud exteras nationes admitteret, mox ut argumentum exploratum est, de quo dissererem, uxore consentiente Romam tetendi. Partim in Instituto Germanico Historico, partim in Bibliothecâ Vaticanâ librum de Bonizone episcopo Sutrino scribere volui; ideo habitatio apta quaerenda erat: ita sita, ut pedester istas bibliothecas adire possem.

Eâ de causâ bis in aestate anni 1965<sup>i</sup> Romam profectus sum. Primum duobus amicis altero pictore, altero incisore adiutus in regione Pontis Sixti (*Ponte Sisto*) administratores ecclesiasticorum bonorum cognovi, qui inter alia capellam quandam barocae aetatis conducendam offerebant. Mihi haesitanti enucleabant se non omnibus advenis tam pretiosa offerre; se Germanos amore speciali complecti inde ab eo tempore, quo Romam occupavissent (anno 1944<sup>o</sup>). Eo enim tempore se optime cum Germanis militibus negotiavisse. Stupefactus nescivi, quid responderem, et re infectâ ad oppidum Balingen, ubi uxor discipulos gymnasii instruebat, reversus sum.

Tribus hebdomadis post in eâdem regione Urbis iterum habitationem quaesivi, quae etiam uxori placeret. Ea enim malebat parviore reditu Romae degere quam maiore Wirtenbergae. Novâ usus ratione investigandi tempore meridiano semper in eâdem tabernâ Romanâ vescebar, cuius cauponam et servitorem de meo voto certiores feceram. Et ecce, tribus diebus emensis cauponae minister, Hippolytus nomine, matronam quandam digito monstravit, quae unâ cum filiâ sarcinis depositis ad tabulam consederat. Quam adii et quis essem et quâ de

causâ Romae versarer explicavi et quaesivi, an conclave conducendum haberent? Primo haesitanter, mox libenter assensum praebuit. Eo modo inter Palatium Farnesinorum (*Palazzo Farnese*) et id Spathorum (*Palazzo Spada*) cubiculum obtinui. Non abhorruï ascensum centum triginta trium graduum, quia una fenestrarum mei cubiculi prospectum liberrimum praebabat ultra Tiberim usque ad Montem Ianiculum.

Haec civitas nobis una in amore et deliciis facta est. Quietē singulari mediâ in Urbe vivebamus felicissimi. Dies dominicas splendide transegimus: Mane surgentes ieiuni – ut eius temporis mos erat – ad divinum officium properabamus. Cum negligentiam fastidiremus, quâ ministri purpurati die dominicae Nativitatis in ecclesiâ Sanctae Mariae Maiore ritus absolverant, apud Sanctum Athanasium Graecorum orthodoxorum (unitorum scilicet) operi dei insistebamus; postea Urbem peragrabamus. Eis diebus uxor amantissima tabulam parvam et modestam – cui autem raro aut numquam flores deerant – melioribus cibus ornabat, quos apud institores Campi Florum (*Campo de'Fiori*) emerat. Horâ postmeridianâ coffeae potui indulgebamus, qui crustulis sive alio quodam opere pistrino illustrabatur. Huiusmodi bellaria praecipue in regione Iudaeorum emebamus, quia nescio quem saporem patrium continere videbantur.

Unâ dominicarum istam regionem pertransientes pistrinam intravimus, quae – cum Iudaeorum esset – eâ die clausa non erat. Consuetum opus pistrinum ementes quaesivimus, quomodo appellaretur crustulum, quod tam iucundi saporis nobis erat. Miram vocem Germanicam nobis reddidit pistrix Itala:

- Id vocatur Kranz (*Si chiama Kranz*).

## XI Vale, mater, semper valet

Se patriam Bavaricam repetere velle pluries dixerat mater. Alia sententia eius erat:

- Aetatem decrepitam vivere non desidero; eius molestias satis satisque iam vidi.

In gerontocomio quodam enim vetularum valetudini servierat. Nos filii ea verba parvi pendebamus; at res secundum matris vota evenit.

Unâ cum vitrico Guntiae vivebat, cum dolore intestino coacta se scalpello chirurgico commendavit, quod cancrum letalem detexit. A fratre maiore excitatus unâ cum filio secundo nato matrem visitavi, cuius facies alia ac consueta erat, cum iam lurido colore afficeretur. Sed invicto animo mulier fortis remanserat. Maximo enim gaudio nepotem Wulfilam suscepit, in proprium lectulum composuit, delicatis bellariis et obsoniis permulcebat. Me et vitricum de colore faciei consolabatur; mox transiturum esse colorem. Triste responsum, quam vere praedixit! At non color faciei, sed anima transivit.

Paucis hebdomadis post mater iterum in nosocomio versabatur. Cum iam metastases, quae vocantur, fel et iecur invasissent, mortem imminere medici nuntiaverunt. Vespere Guntiam veni; aderant fratres. Vitrico domi relicto ad hospitium gressus direximus. Mater graviter laborabat; instrumentum infusorium, quod eius brachio adhaerebat, ei molestum erat, quod agitatione cubiti indicabat: ceteroqui non conquerebatur, non lamentabatur, tacite dolorem patiebatur. Cum silentes matrem circumsederemus, Otto nepos advenit. In eius figurâ matri coniux iam viginti septem annis ante bello extinctus apparere visus est, cum diceret ea (ultima) verba:

- Diu desiderate, Otto, tandem venisti!

Postea ne verbum quidem dixit. Cum spiritus artius et artius traheretur, medicus eam molestiam facile levari posse dixit et apparatus artificiose sugentem mucoso ori graviter laborantis adhibuit. Exivimus; extra cubiculum positi parvum clamorem matris audivimus et ipsi doluimus dolorem, quem passa est.

- Hac nocte manebit, non morietur,

medicus exiens dixerat. Fratres domum revertebantur, alter Guntiam, alter Augustam. Remansi cum matre solus. Oculos ad me tacite convertit. Coepi orare Omnipotentem de eius valitudine, pronuntiavi voce suppressa orationes, quas ei notas esse sciebam. Cum hora se protraheret, Rosarium dolorosum repetebam interdum, plantas pedum matris morientis manibus palpans. Eae mihi frigescere videbantur, et cum manus eius tetigissem, animadverti calorem vitalem iam recessisse, quamquam cor usque pulsaret.

- Aperi ei, bone deus, portam caeli, inter lacrimas dixi, intercede pro eâ, Virgo dei Genitrix. Respice eam, qui cruce passus cruore tuo hominem redemisti, dei filius. Suscipe animam, deus, quam creavisti. Subvenite, sancti dei, occurrite angeli domini, leniter sublevate animam eius! Sancte Michael archangele, defende eam in proelio, ne pereat in tremendo iudicio. Angele Custos, adiuva illam tuam tam constanter, tam fortiter, tam silenter dimicantem, tam recto tramite eâ horâ deum suum creatorem appropinquantem! Quiesce, bene requiescas, mater, a laboribus tuis.

Sic in silentio mediae noctis mater obiit. Late aperui fenestras, ultimum osculum matris comae pulcherrimae impressi, animam e corpore egressam ad deum revertentem singultibus, ploratu et oratione comitans.

Altero die, cum ad stationem viae ferratae me conferrem, subito automobile nigrum ex urbe exeuntem vidi et

- Mater

exclamans eam prope me, ultimâ vice corporaliter vicinam sensi omnibus visceribus. Paulatim discedebat anima. Plus quam viginti quinque annis post mortem eam in somnio vidi et quaesivi, an bene haberet. Respondit – ut sui moris erat – consolans et mitigans:

- Mox bene.

## XII De erinaceo resuscitato

Tertio filio nato casu evenit, ut domus sat ampla et in eâdem viâ sita, quâ vivebamus, pretio modico conducere potuerimus. Duo erant ibi cubicula apta ad hospites recipiendos. Inter eos carissimi nobis fuerunt Hubertus theologus et Antonius medicus; quorum alter Wulfilam, Bennonem et Undinam baptizaverat et suâ benevolentîâ omnes exhilarabat, alter munificentîâ suâ conclave nostrum maius tamquam museum quoddam ornabat picturis barocae aetatis et statuâ quâdem ligneâ Iudae Thaddei Apostoli saeculo decimo sexto ineunte ligno exsculptâ (quam mihi postea in hereditatem dedit). Ambitus amplus huius domus etiam aream arenosam praebebat, in quâ liberis ad libitum fodere, construere, ludere licebat. Ibi eis tempore aestivo in labro cummeo copia balneandi facta est. Via publica Schloßweg nominata itinere arduo et sinuoso sex inflexionibus (*Serpentinenweg*) ducebat ad villam sive castellum 'Zum Engelberg', quod Patres Societatis Iesu quondam ad suorum recreationem construxerant.

Erat etiam nobis vehiculum in custodiaro, non automobile certe, sed plaustrum parcae proportionis, quod facile manu unius hominis trahebatur. Hoc vehiculum manuale carpentarius in Silva Nigra confecerat; avus plaustellum nobis miserat.

Mons pinguis, mons condensus et umbrosus erat ille, ad cuius pedem habitabamus, et nobis erat iucundissimus, quia suaviter et leniter ad vallem descendebat. Liberi saepe plaustellum in altum trahebant, cui insidentes per flexus viae vehementes revertebantur: rotis ferratis strepitu sonantibus, Gereone temonem cruribus dirigente, Wulfilâ sive Felice baculo frenante, Bennone Undinâque iubilantibus. Aves maiores, ut phasiani, interdum conspiciebantur, erinaecei nondum rarefiebant et plus quam semel vulpecula haud procul a domo permeavit.

Uno dierum flens et eiulans maximus natu domum intravit:

- Erinaceus mortuus est. Occisus est erinaceus noster.

- Videamus, an vere mortuus sit.

Automobile quoddam erinaceum in viâ ita compresserat, ut vix plus quam lacinia sanguinea remanserit. Plorabat filius et noluit consolari.

- Si deus vult, resuscitabiturne erinaceus? singultans quaesivit.

- Si deus vult, etiam erinaceus resuscitabitur, affirmavi.

Quid aliud hoc in loco respondissem? Post meridiem evolavimus in prata, quae eo tempore inter pagum Merzhausen et civitatem Friburgensem patebant, ubi rivulus paludem parvam effecit et in saepibus cuiusdam horti conclusi rubus fructus optimos praebebat. Appropinquavimus hortum desertum et ecce: Erinaceus, quem sequebantur quinque aut sex parvuli erinacei, sub rubo procedebat gressu suo agili et imperturbabili.

- Erinaceus resuscitatus est,

filius iubilabat. Spectaculum tacitus mirabar.

### XIII Lacus Potamicus

Decem annos natus aerem humidum Lacus Potamici apud Tett nang primum respiravi. Mense Maio ineunte unâ cum matre in domo cuiusdam cultrarii et duarum filiarum eius hospitabam. Die ad vesperum vergente paene totum oppidum sub divo ambulabat et infantes tabulis ligneis armati scarabaeos melolonthas venabantur, quorum ibi multitudo incredibilis susurrabat.

Vicinus nobis Augustanis Lacus Potamicus videbatur, quamquam non nisi itinere quattuor sive quinque horarum attingeretur. Etiam Monachii, Friburgi, Heidelbergae positus quasi semper eo tendebam. Inde ab anno 1974<sup>o</sup> usque ad annum 1994<sup>um</sup> ibi feriis indulgebam quotannis. Forte fortunâ evenit, ut nobis turris quaedam Hochwart nominata, in ipso cacumine Insulae Augiae posita ad habitandum per mensem Augustum offerretur. Turris illa primo tabulato quattuor fenestris instructa erat, secundo tabulato tamquam castellum, quod in historiola 'Das Meerhäschen' describitur, coenaculum duodecim fenestrarum exhibebat, trinas ad Septentrionem, ad Meridiem, ad Orientem, ad Occidentem. Tertio autem tabulato studiolum pusillum ad legendum invitabat et scala ardua ad fastigium turris ascendendum. In summitate turris tabula parva una cum duobus sedilibus ita exstructa erat, ut universa longe lateque superinspicienda oculis patebant. Tota Insula exinde videbatur et amplius: lacus a Constantiâ usque ad montem Schienerberg, a Ratoltscella usque ad oram Helveticam Rheni castellis ornatam. Quot auro rutilantes ortus solis ecclesiam Sancti Georgii fulgore illuminantes, quot occasus solis sanctorum Petri et Pauli ecclesiam roseo luce vestientes ibi contemplati sumus! Ibi character indelebilis Augiae Maioris se cordibus nostris impressit.

Cum eodem tempore crebro apud bibliothecam S.Galli versarer, in studium codicum manuscriptorum incumberem et indolem operum Sangallensium differentem ab illo Augiensium cognoscerem, ideam libri cuiusdam mente concepi, in quo et similitudines et



discrimina inter coenobium Augiense et Sangallense elucidarentur. Liber Eremus und Insula inscriptus anno 1987<sup>o</sup> primum in lucem prodiit; calamo mentis eum iam multo ante in turri Augiensi 'Hochwart' constitutus conscripseram.

Terminus harum felicissimarum stationum in Augiâ Maiore hic fuit: Ultimo die feriarum nostrarum anni 1976<sup>i</sup> ad natationem properavimus. Pusillus noster grex naviculâ cummeâ commode continebatur; sole omnia exhilarabantur. Subito rumor quidam exortus est muliere quâdam discurrente et

- Adiuvate!

clamante. Quaerebat filiolum et non inveniebat. Aliqui ex hominibus iunctis manibus 'catenam' formabant et per aquam turbidam – ut esse solet in illa parte Lacus Potamici – lente progrediebantur. Aliquanto post, non amplius quam triginta metris a ripâ distantes quoddam quasi truncum ligneum pedibus tetigerunt. Erat puer ille quaesitus, aquis submersus. Iam rigidum puerum decem annorum ex aquis traxerunt, humeris in arida portaverunt et exinde, cum iam non respiraret, quam velocissime ad medicum quendam vicinum rapuerunt. Cui medico contigit, ut cor pueri iterum palpitare faceret, antequam pauper ille secundo moriens spiritum redderet. His visis et perceptis balneum Augiense exhorruimus; duodecim anni transierunt, quibus eodem loco in lacum ad natandum non descendi. Annis sequentibus apud Nonnenhorn et Langenargen et Sipplingen feriabamur.

- Arte egeo nullâ: fiat modo copia nandi (Ov., Her.XVII [XVIII] 147),

unâ cum Leandro illo famoso natatore dicere potui, cum infantibus in ripâ Nonnenhornensi ludentibus mane – antequam naves advenirent – in altum cum individuâ meâ comite enatarem, usque dum turres ecclesiarum Lindaviae, viridis hinc evangelica et rubida illinc catholica, oculis conspiciabantur. Revertentes ab aliis hospitibus iocose quaerebamur

- Quid ex Helvetiâ nobis apportastis, coffeam aut cacaoticam?

Tandem locum secretum, optimum, divinum invenimus in quâdam speciosissimâ Grangiâ Kirchberg nominatâ a monachis Salemitanis ca. annum 1500<sup>um</sup> aedificatâ, postea in locum recreationis abbatum eiusdem monasterii conversâ et tandem in castellum Marchionis Badensis transformatâ. Eo tempore mansio amplissima a tabernario et coquo quodam administrabatur. Pernotationi hospitem tria tantum cubicula domus illa aevi gothici praestabat. Eia, qualia cubicula! Primum et optimum cubiculum fornace maximâ ex laminis fictilibus caeruleis, partim depictis dotatum erat et non minus quam quinque fenestris magnis et limpidis tamquam lucidissimis ocellis in vineas, in lacum, in montes et usque ad insulam Mainau prospiciebat. Arcus quidam decoro stucco praeditus cubiculum in duas partes dividebat, unam, ubi quasi in sanctuario deae Iunonis dormiebatur, alteram, quae ad legendum, colloquendum, contemplandum commodissime invitabat.

Non minoris elegantiae erat tabernae triclinium, cuius speciosissimae mensae hospitales vocabantur Caverna et Confessorium, quia mensae illae sub scalis positae arte lignoriâ abunde lignis bene formatis structae, immo ornatae erant. Ibi post matutinam natationem festive ientabatur, dum oculi per fenestras plerumque apertas latitudine vinearum, lacus et montium Sântis et Altmann pascebantur. Ibi ea mente agitabantur et partim iam incipiebantur, quae in serie Reichenauer Texte und Bilder inde ab anno 1988<sup>o</sup> publici iuris facta sunt. Paradisiacis illis vacationibus per septem annos fruebamur; anno 1995<sup>o</sup> - eheu - locus ille amoenus et deliciosus a Marchione venundatus est.

## XIV 'Fabulam!'

Domus Heidelbergensis anno 1977<sup>o</sup> coepta et duobus annis post perfecta in secundo tabulato podium prae se fert, quod quasi nasum in meridiem protendit. Cum descriptio aedificii Aedilitati proponeretur, ut comprobaretur, de podio illo quaesitum est:

- Nonne Historiam Medii Aevi doces in Universitate?
- Materiam valde vicinam exploro et doceo, nempe Philologiam Medii Aevi.
- Quaecumque haec res sit; podium istud, quod construere vultis, 'mediaevale' esse nobis videtur.

Longe aliter cogitabamus et ad alios usus destinabamus illam partem aedificii. Scamna duo replent podium, quae etiam ab imo calefiunt. Sole occidente hoc in loco liberi libentissime conveniebant et cum omnes, sive maior pars eorum, ibi congregati essent, certe

- Fabulam!

vociferabant.

- Fabulam lege, pater!

Quos et quot libros ibi legi voce altâ, vix recordor. Legebantur inter alia Clemens Brentano, *Gockel Hinkel Gackeleia* (ex libro a Walthero Bulst meo praedecessore Felici filio ad Dominicam in Albis donato); Daniel Defoe, *Robinson Crusoe*; Michael Ende, *Momo*; Fratres Grimm, *Kinder- und Hausmärchen* (unâ cum legendis decem); Wilhelm Hauff, *Die Karawane* (ex libro Pragensi a Georgio Trnka ornato, olim ad pentecosten anni 1962<sup>i</sup> quondam amicae, postea uxori donato); Eiusdem, *Der kleine Muck* (ex altero libro illustrato Pragensi); Selma Lagerlöf, *Wunderbare Reise des kleinen Nils Holgersson mit den*

*Wildgänsen*; Eiusdem Legendae, quarum una, *Die Heilige Nacht*, iterum atque iterum postulabatur; Alois Theodor Sonnleitner, *Die Höhlenkinder*; Robert Lewis Stevenson, *Die Schatzinsel*; Elisabeth Walther, *Die abenteuerliche Reise des kleinen Schmiedledick mit den Zigeunern* (quae est transpositio quaedam *Itineris* Lagerloefiani in pagum Badensem); Oscar Wilde, *Märchen und Erzählungen*, quarum fabulas *Der glückliche Prinz* et *Der selbstsüchtige Riese* bis aut ter legi. Etiam *Fabellarum* librum Fratrum Grimm et Stevensonii *Insulam Thesauri* ut iterum legerem, liberi me moverunt.

Semihorae illae cum liberis bene pransis, lavatis, iam vestibis nocturnis indutis, mihi legenti carissimae fuerunt manentque semper. Eas inter dona maxima vitae numero. Insuper legens fabellas a Fratribus Grimm collectas et redactas non pauca de legibus narrandi didici et aliqua eorum etiam in re biographicâ et stilisticâ adhibui (e.g. *Biographie und Epochenstil* t.1, p.319sq.). Vim narrationis Stevensonianae – ut hoc exemplo utar – expertus sum, cum Bennonis et Undinae causâ *Insulam Thesauri* secundo legerem. Felix et Wulfila intenti auscultabant, Gereon autem – iam adolescens sedecim aut plus annorum – huiusmodi nugae amplius sibi non convenire ratus podii scamna vitabat. At cortina, quae duo cubilia infantium separabat, me legente interdum leniter movebatur. Velo obducto et cortinâ tectus maximus natu clam fabulae praebebat aures.

## XV Hortulus

Quamquam planities glareis referta inter Licum et Vindam sita ad culturam hortorum minus apta est, avi paterni in fronte domus Augustanae et parte aversâ hortulum colebant, qui arboribus pomiferis consitus erat. Longe laetius solum Heidelbergense favet segeti et frugi. Ficulnea interdum bis in anno ficos produxit, iuglans nuces mirae quantitatis caelo demisit ab alto (ut vere nomen arboris a Iove principium sumpsisse videatur, id est a Iove, qui glandes spargit e caelis); arbor, quae Spina Christi vocatur, dulcore suo diffluens milia apium attraxit ita, ut susurris vibrare videretur. Centenae rosarum per annos floruerunt, usque dum arborum numerus et altitudo effecerunt, ut hibiscus et aliae plantae colores darent, quae umbris iuvantur.

Praeter arbores et flores crescunt legumina et nonnullae plantae aromaticae, inter quas facile eminet salvia, de quâ in Regimine Sanitatis Salernitano legitur (c.62):

- Cur moriatur homo, cui salvia crescit in horto?

Adfuerunt aviculae inde ab initio nostrae culturae hortuli; nigra sed formosa olim in silvis habitans merula subito apparuit. Nec defuerunt parus et rubecula. Troglodytes parvulus illam suam magnam vocem duram zig-zig-zig misit et mittit usque ad hunc diem. Picus tamquam carpentarius malleans post annos aliquot arbores inspiciebat. Inter aves hieme a Monte Sancto (*Heiligenberg*) descendentes non semel blaterabat nucifraga. Buteonem alte girantem interdum in hortulo sedens video, strident hirundines apodes horâ vespertinâ et in stagno plus minusve quinque pisces aurei coloris tacite discurrunt.

Inter quadrupedes hortuli primo loco exquirium nominandum (sive exquirius sive squirolus sive scirius sive sciuirolus – quam magnum agmen nominum illa parvula bestiola trahit!),

quod vestigiis ingreditur felium quattuor praecedentium, ad murum horti sepultarum. Quomodo quartam (et ultimam) felem rubeam et affabilem sortiti simus, paucis dicam: E vacatione quâdam domum redeuntes illa tamquam hospes ad portam expectavit, domum vix reclusam intravit et nobiscum remansit, quamquam alio cuidam olim fuerat, ut apparuit e signis caeruleis auriculis eius impressis. Secundo die ab eo, quo feles domum nostram sibi habitandam elegit, vidi Studiosam, quae domum custodierat, dum peregrinaremur, et quaesivi, an felem cibavisset sive domi remanere concessisset. At respondit Studiosa – rubea etiam ea: - Tantummodo cum fele locuta sum.

Non raro vespere erinacei hortulum visitaverunt et cibo felis refecti viam suam nocturnam perrexerunt. Unus eorum tamquam ultimus gratulantium uno die natali advenit. Valde doleo vos iam multos annos non vidisse et saepe opto, ut iterum veniatis, viatores intrepidi vos temerarii, sepius iusto contriti erinacei.

## XVI Iter Italicum

Liber, quem scripsi de Medio Aevo Graeco-Latino, effecit, ut non raro invitarer ad colloquendum de hac re apud exteras universitates. Prima harum invitationum inopinate ad me dirigebatur ab Ordinario Philologiae Germanicae Oxoniensi, quem penitus ignorabam. Se librum legisse scripsit; de re, si consentirem, Oxonii, Cantabrigiae, Londinii et Liverpoolitani disputandum esse. Ita primum in Angliam profectus sum. Sequebantur itinera alia huiusmodi: Italicum, Americanum, Hispanicum, alter Americanum. Vere *novus* mihi mundus Americanus, *dives* Hispanicus, *proximus* Italicus apparuit.

Ad urbem Ianuensem aereâ viâ veni, ubi in palatio quodam barocae aetatis disserui. Pisae magnifica aedificia saeculo duodecimo coepta vidi; Romae, ubi viginti annis ante studueram, cum principibus Palaeographiae et eorum discipulis de Graecis litteris in Occidente disputavi. Salerni aliqua de Bonizone Sutrinum dedi et piscatores die pentecostes anni 1985<sup>i</sup> terrui, cum valde mane per sinum Salernitanum in altum natarem; didici postea eam partem maris tunc temporis ita contaminatum fuisse, ut nemo habitatorum illius regionis ibi nataret. Per Calabriam veni Messanam, ubi 'Academia Periculum Facientium' me audivit. Cum e Rhegio Calabrensi aereonavi Romam et inde in patriam revertendum erat, ante lucem surrexi et autoraedâ ad traiectum Messanensem, illum fabulosum fretum inter Scyllam et Charybdim superantem, me contuli. Nondum matuta lucescerat, cum ad portum veni. Lampadibus aliquibus tenebras penetrantibus vix legere potui titulos navium, quae in portu incertâ luce oscillabant:

- STYX,

legi nomen navis proximae et exhorruui. Nomina aliarum navium oculis explorare conatus sum. Stygi illae dirae navi adiacebat alia, quae

- HELGA

nominabatur. Helga, navis Messanensis! Quam fortiter, quam suaviter nomen illud me certiorem fecit de freto, de Scyllâ, de Charybdi! Procul fabulae, procul timores! Tibi, carissima, eâ horâ advolavi.



## XVII ...et alia itinera

Anno 1970<sup>o</sup> primum inter doctos publice disputavi de Metro de vita Sancti Galli auctore Notkero Balbulo, quod ex fragmentis saeculorum sexti decimi et septimi decimi restitueram in integrum sive – ut neologismo quodam utar – reconstruxeram. Bibliothecarius S. Galli duo pulpita praeparaverat: unum ex quo legerem, alterum, in quo codex cum miniaturâ quâdam illuministae Augustani Nicolai Bertschi sive Berschin videbatur. Quasi in conspectu atavi verba dabam in pulcherrimâ Helvetiae Bibliothecâ.

Ab eo tempore multis in locis, ubi vigeat et, ut spero, semper vigeat Latinitas de Scribis Sangallensibus, de Bibliothecâ Palatinâ, de Graecis Elementis in Codicibus Manuscriptis Medii Aevi verba feci – ut exempli gratiâ ea tantum argumenta nominem, quae imaginibus translucidis illustrare consuevi. Usque ad quattuordecim acroamata per annum dedi. Elenchus autem peregrinationum mearum oratoriarum hic est:

Cum apud Canadenses, Graecos, Hollandenses, Hungaros et Turcos uno tantum in loco locutus sum, nempe Toronti (quater), Thessalonicae (ter), Ultraiecti, Budapesti, Constantinopoli, in binis civitatibus Belgorum (Bruxellis et Lovaniae [ter]) et Hiberniae (Corcagiae et Dublinii) et trinis Poloniae (Cracoviae, Gnesniae, Posnaniae [ter]) verba dedi. Quinque in locis Austriae data est copia fandi, etenim Feldkirchae, Iuvavi, Oeniponte, Viennae (quater) et apud Zwetlam. Quinque etiam fuerunt urbes, quas orator visitabam in Britannîâ: Cantabrigiam (ter), Durhemum, Liverpolitanum, Londinium (ter), Oxonium (quater) adii.

Et quoniam sermo huc noster evasit, libet inserere dialogum memoratu dignum, quem in Collegio Corporis Christi apud Oxonium cum quodam collegâ Latino sive Latinitatem docente habui. Perambulantes illud Collegium vetustate et formositate lapidum fulvorum

conspicuum ad claustrum pervenimus, ubi inscriptiones videbantur, quas, cum Latinae essent, passim legi hospite verbis exponente, de quo homine sive de quâ re agerent. Ita procedentes et colloquentes ante epitaphium cuiusdam Heinrichi Nettleship pedem stitimus. Ille in epitaphio laudatur

- Philologus inter primarios saeculi sui ..., qui postquam ... e magistris fuerat, huius collegii ... rexit studia.

- Melius erat, dixi, si auctor huius epitaphii coniunctionem «postquam» non cum plusquamperfecto, sed cum perfecto iunxisset.

Ad quae verba homo Anglus non sine acrimoniâ respondit:

- Vos Germani nos Anglos bene ad subtilitates linguae Latinae cognoscendas adiuvistis, cum optimos vestros peritos Latinitatis in exilium Britannicum misistis. Nonne tu Augustanus es? Augustanus erat is, qui e Germaniâ pulsus heic nos Oxonienses de Graecitate et Latinitate singulariter instruxit. Etiam alter exul Oxonii splendide Latina docuit, nempe in Collegio nostro Corporis Christi.

Conticui. Exinde novi Anglos tam mites et pacificos non esse, quam sibi ipsi videntur.

Redeo ad filum. Iterum quinque sunt civitates in Rebus Publicis Unitis (Cantabrigia/Mass., Chicago, Columbus/Ohio, Novum Eboracum [bis], Washington/D.C.), ubi 'ex cathedra' locutus sum. Septies in locis Helvetiae publice contionatus sum, etenim Basileae (bis), Bellinzonae, Friburgi Helveticorum, Genevae (Vandoeuvres), Kappel, apud S.Gallum (duodecies) et Turici (bis); octies in urbibus Hispaniae: Barcinonae (quinquies), Benissae prope Alicante, Matriti (bis), Mursiae (bis), apud Sanctum Iacobum in Campo Stellae (bis), Tarraconae, Valladolid, Victoriae in regione Wasconum. Et octo fuerunt civitates Franciae, ubi verba dare licuit: Aurelianum, Bello loco prope Niciam, Columbaria in Alsatia, Ludera

(Lure) in Burgundiâ, Lugdunum, Nanceium, Parisius (bis), Pictavium. Plus quam viginti civitates Italiae: Augusta Taurinorum, Beneventum, Casinum (bis), Catania (pluries), Crypta Ferrata, Erice, Florentia (bis), Ianua, Isernia, Mantua, Mediolanum (quinquies), Messana, Moggio, Neapolis, Oliveri prope Messanam, Panormum, Roma (bis), Salernum (bis), Spoletum, Tudertum, Trani, Verona - et plus quam quinquaginta in Germania: Altshausen, Aquisgranum (ter), Augia (sedecies), Augusta Vindelica (novies), Bamberga (bis), Berolinum, Buranum (sive Beuron; bis), Brunsvica, Carolsruha (sive Hesychia Caroli; ter), Colonia (duodecies), Constantia (bis), Dresda, Dryopolis sive Eystadium, Duisburg, Erfordia, Erlanga, Fauces, Frankenthal, Friburgum Brisgavorum (pluries), Fulda, Gandeshemium, Goettinga, Guelferbytanum, Hainhofen prope Augustam Vindelicam, Halae Saxonum, Heidelbergae (persaepe), Hornbach, Iena (ter), Laurissa (bis), Lipsia (bis), Lörrach, Mannhemium (octies), Maria Rosenberg in Palatinatu, Marpurgum, Merzhausen prope Friburgum Brisgavorum, Moguntia (bis), Michelstadt, Monachium (ter), Monasterium Westfolorum, Noviomagum (Neuß), Parthenopolis (Magdeburg), Querfurt, Ratisbona, Sekkinga (ter), Seligenstadt, Spira, Steinbach apud Einhardi basilicam, Stockach, Stutgardia, Tubinga (bis), Weingarten, Wuppertal (bis), Yburninga (quater).

Ut Mediae et Infimae Latinitatis studiosum decet, etiam parvum gregem auditorum interdum allocutus sum. At non raro numerus audientium modum consuetum superabat et nonnullis in locis quibusdam temporibus plus quam quingentis sive sescentis de quâdam re Mediae Latinitatis nova et vetera proferre mihi licuit (cum exempli gratiâ Augustae Vindelicorum de S.Udalrico sive Augiae de Herimanno Contracto perorarem).

Linguae, quibus utebar, erant Germanica, Italica, Anglica, Francogallica, Hispanica, Latina, quâ ultimâ ter publice proferebam verba, Trani, Posnaniae, Heidelbergae. Cum ex lectisternio in antiquo quodam rectorio cuiusdam monasterii dissoluti extra Tranensem civitatem loqui inciperem, et auditores post prima verba me *Latine* disserere animadverterent (De Rudolpho

Agricolâ primo humaniorum studiorum apostolo Heidelbergensi), curiosum erat videre, quomodo alius post alium eorum, qui columnis prohibentibus oratorem non videbant, sese erigeret sive caput ad dextram sive ad sinistram declinaret, ut loquentem perspiceret. Raro aut numquam sensi auditores avidius auribus verba percipientes.

## XVIII Ars venatoria

Peregrinationes illae mihi pergratae fuerunt, in quibus data est copia videndi codices manuscriptos Medii Aevi. Interdum sollerter exploranda erant vestigia, diu expectanda hora, quâ inspicere liceret codicem et brevi spatio temporis concessio quam optime utendum. Id genus studii non incongrue arti venatoriae comparatur, cui frater Paulus tanto fervore et studio inservit – ad hoc genus exercitii fortasse inductus quodam atrio in villâ avorum nostrorum Waldfrieden nuncupatâ. In eo enim loco, olim ab amitis duabus administrato, atrium tropheis venatoriis ornatum erat: capitibus cervorum, capreolorum, apri et, si bene recordor, etiam bubali.

Difficillima mearum venationum erat illa Torontina anni 1991<sup>i</sup>, quâ codicem Bonizonis saeculi duodecimi insectabar. Istum bibliothecarius Oxoniensis in quodam Collegio Anglico detexerat paulo post, quam librum de Bonizone Sutriensi primum publici iuris feceram. Cum tribus lustris et amplius evolutis novam editionem eiusdem libri Italicâ linguâ praepararem, inter alia codicem nuper in Angliâ e tenebris emersum examinare volui, ut viderem, quid novi ad notitiam vitae et operis Bonizonis mei afferret. Ideo scripsi litteras ad Bibliothecarium Collegii, an mihi permetteret autopsiam codicis Bonizoniani, si – ab itinere quodam Anglico devians – ostium dictae privatae bibliothecae pulsarem.

- Ne disturbes quietem tuam, ille bonus homo lepidissime rescripsit; codicem nostrum venundavimus.

- Ne de praedâ desperes, dixi apud meipsum, si aufugit, decet venatorem insistere, debet sagacissime fugitivam feram explorare. Quâ de causâ alterâ epistolâ bibliothecario verbose exposui, quare meâ interesset notitia codicis et curialiter rogavi, an mihi indicare vellet, ubinam quaerere possem codicem Bonizonianum.

- Institutum Pontificium Torontinum adi, collegiatus Anglicus liberaliter respondit; illud enim codicem, quem quaeris, pretio comparavit.

Forte fortunâ illo tempore Conventus «Sangallensia in Washington» praeparabatur, et collegae aliquot suaserunt mihi, ut longiuscule in Novo mundo versarer et interdum publice loquerer. Inter eos, qui huiusmodi litteras scripserunt, fuit quidam Torontinus, cuius invitationem statim suscepi.

Quam longinqua, quam fastidiosa sunt itinera aerea in Americam! Quamquam e fenestellâ ad dexteram partem aeronavis prospicere potui, nihil vidi, praeter

- caelum undique et undique pontum (Virg., Aen. III 193).

Ne Groenlandia quidem videbatur, quae gigantea, candida et relucens eâ viâ in aere itinerantibus interdum se ostendit. Torontinum perveni et amicum Canadensem conscium mei consilii feci. Valde mane surreximus, Institutum Pontificium adivimus, ad Bibliothecam ascendimus; codex Bonizonianus novissime acquisitus, ut nobis monstraretur, postulavimus.

- Codex Bonizonianus noviter acquisitus? Paucis tantum codicibus manuscriptis Medii Aevi gaudemus. De acquisitione huiusmodi nihil conpertum habeo.

- At – monstravi epistulam – Collegii Anglici Bibliothecarius vestrum Institutum emptorem et possessorem esse litteris istis declaravit.

- Videte tabellam novarum acquisitionum: Nihil, quod ad Bonizonem spectet, invenitur.

Spe omni abiectâ descendimus, in domo quâdam coffeanâ consedimus. Tubuli neonici malâ luce tabernam replebant, malam et insipidam coffeam praebebat quidam caupo segnis. Quid nobis profuit ante lucem surrexisse? Quomodo tempus antemeridianum consumeremus? Horâ

quasi decimâ antemeridianâ iterum ad Bibliothecam nos contulimus. Cum in ascensorio positi essemus, Studiosorum unus comitem meum Canadensem ita allocutus est:

- Iam te quaesiverunt, magister. Nuntium tibi scripsit quidam. Et re verâ in tabulâ, quâ libri dantur, inveniebatur cedula cum illo nuntio:

- Telephonice selige numerum...

Quod amicus sine haesitatione fecit. Quem alius quidam invisibilis diu de qualitate, aetate, natione, intentione eius inquirebat, qui codicem Bonizonianum videre vellet. Cum ad omnes quaestiones rite responsum esset, indicabatur ab alieno illo ignoto nomen plateae Torontinae, numerus domus et dies, quo liceret videre codicem.

Sabbato horâ meridianâ meliore vehiculo usi, bene vestiti constitimus ad ingressum cuiusdam divitis, ut erat videre. Homo celsus portam aperuit, sine ambagibus nos in lucidum cubiculum duxit, mensam plicatilem apportavit, quam ad fenestram statuit et codicem tanto labore quaesitum ante oculos posuit:

- Utere codice meo.

Maximâ festinatione ego ea, quae quaesivi, excerpsi et variam lectionem notavi libri Bonizonis De sacramentis. Interdum amicus cum possessore colloquebatur, ut auget spatium temporis mihi concessum. Mox autem dixit dominus:

- Codicem meum, ut credo, sat vidisti. Uxor mihi proposuit, ut vos ad prandium invitem. Cum gratanter acciperemus, offerebat mensorium quoddam, cui imposita erant una lagoena, tria vasa vinaria et tria pastilla farta. Pastilla, quae me paene suffocabant, libenter mutua dedissem, si vice versâ amplius tempus ad studium codicis accepissem.

## XIX Hispaniola

Germaniam odio numquam habui, quamquam de diversis novitatibus compatriotarum diversa sentirem. Apud Italos inde a Veronâ usque ad urbem Romam et ab Urbe usque ad Panormum quasi domi esse sensi. Felicitatem autem ex intimo corde superabundantem iterum atque iterum sub caelo aureâ luce perfuso Hispaniae et Hispaniolae expertus sum. Rudimenta sermonis Hispanici in gymnasii ludo duos annos apud magistrum didici, qui bellico eventu in Argentinâ detentus fuerat. Huius linguae notitiam paene annihilatam ad vitam revocare conatus sum Don Quijote legens et opera Garsiae Lorcae; ita me ad iter Hispanicum praeparavi, quod unâ cum Guilelmo mense septembri anni 1959<sup>i</sup> coepi. In eo itinere â fratre Paulo praestitum automobile agitavi. Scopus peregrinationis is erat: Guilelmus propositum sibi habuit, ut videret omnes codices manuscriptos Beati Liebanensis imaginibus ornatos; insuper dictas imagines photographice depingere voluit. Beatus ille, cuius vestigia quaerebamus, saeculo octavo commentarium in Apocalypsim scripserat, quem scriptoria Hispanica sequentium quattuor saeculorum libenter vividissimis coloribus expressive, ut ita dicam, illuminaverunt. Haec opera depicta amico apta videbantur, ut Apocalypsis Iohannis lectori nostri temporis ad oculos demonstraretur; ideo librum de Beato praeparabat, quem - morte praeventus - numquam ad calcem perduxit.

Geronae positi in sacristiâ ecclesiae cathedralis codicem Beati manibus volvebamus, quem Ende Pintrix in scriptorio monasterii Tabarensis ca. annum 975<sup>um</sup> aridis coloribus effecerat; Burgo de Osma, Matritum, Valladolid, León thesauros suos liberaliter aperuerunt. Ibi amorem codicum manuscriptorum concipiebam, eo in itinere primum codices tamquam artificia conspexi et eos in deliciis habere coepi.



Triginta annis post unâ cum Bennone Hispaniam pervagatus sum de Graecis elementis in codicibus manuscriptis Medii Aevi publice disserens. Ea optima omnium peregrinationum declamatoriarum erat. Cum ego enarrationem praepararem, Benno de viâ ferratâ sive aeronavi certior fiebat. Ita spatium temporis alias strictum tam bene dispositum est, ut etiam otio felici balneandi et natandi indulgere liceret. Bene ditati domum reversi hebdomadam illam Hispanicam sensibus imis reponebamus.

Amore inconsiderato et caeco me res Hispanicas amplecti saepe a filio notabatur. Re verâ omnia, quae de re Hispanicâ audivi, in meliorem partem interpretari consuevi. Cum nullo collegarum de mediâ latinitate libentius loquebar quam cum illo apud Sanctum Iacobum de Campo Stellae docente; nullius promotio festivius acta est quam illa discipulae cuiusdam Myrtiensis. Inde ab anno 1996<sup>o</sup> vacantias Februarias sive Martias degebamus in Insulâ, quam Columbus Hispaniolam nominaverat. Litore conserto palmis, quae uno eodemque tempore florent et fructus dant, optimum vitae medicamentum invenimus. Eâ insulâ quasi altero paradiso fruebamur. Natantium vires restituebantur; sole refecti pallorem hiemis obliviscebamur. Formâ, colore, cantus aves delectabant – aves, quae mihi partim familiares erant, cum id genus bestiarum ab adolescentiâ libentissime viderem et saepissime parvum musicum in arbore sedentem sive in fructo latentem sive in prato salientem sive in caelum ascendentem oculis et auribus persecutus essem.

At cum in Hispaniolâ aure perciperem vocem merulae, oculis perplexis vidi avem formâ et colore a nostrâ merulâ Europaeâ valde differentem. Saepe audies picum arborem fortiter pulsantem et hi-hi-hi ridentem; at non sine admiratione videbis avem longe aliter vestitam atque ea, quam tamquam 'Grünspecht' domi notissimam habes: In Hispaniolâ Insulâ enim fasciis nigris et flavis alternantibus apparet. Aures patefacis luscinae suaviter cantanti; sed avis dulciter iubilans, quam incolae Ruiseñor vocant, non est avicula modestae formae, quam ut 'Nachtigall' novisti, sed volatile sat amplum grisei coloris. (Indigenae occidentalis partis

Insulae non incongrue avem francogallice nominant *Moqueur polyglotte*, mimus polyglottos). In litore maris saepe pelicanus comparet, qui alis suis praegrandibus vectus mille passuum et amplius sine ullo motu corporis emetitur et more mirabili unâ cum socio tam congrue volat per aera, ut etiam stercora sub uno eodemque ictu momenti mittant.

Taceo de illâ singulari trochilidâ, vulgo Kolibri, viriditate smaragdeâ nitente, quae tantummodo Hispaniolae cernitur. Nobile spectaculum praebuit aquila piscator sedens in culmine arboris Tamariscae, quae sexies vicies a falcone flavi coloris – ibi nidificante – desursum incurrebatur, quos impetus toties iteratos rex avium patientissime tolerans vix sensibus percipere videbatur.

Et ars architectonica Insulae aliquid novi ad oculos demonstrabat. Civitas Dominicopolis, quam demum anno bis millesimo vidimus, ecclesiis suis gothico stylo aedificatis nos certiores fecit, Americam non ab hominibus Renascentis aetatis, sed ab iis Aevi Gothici detectam esse, ab hominibus denique Medii Aevi.

## XX Hagion oros Athos

Nomen et numen artis Graecae Antiquitatis Brunonem Coloniensem pictorem et me iam anno 1958<sup>o</sup> in partes Graecorum trahebant. Romae apud Sanctum Georgium in Velabro stationem invenimus, cum Brunonis avunculus monachus Ordinis Cruciferorum esset, ad cuius ius ecclesia et monasteriolum pertinebant. Brundisio ad Piraeum sive Athenas cursu navali pervenimus. Coepimus visitare loca Classicae devotionis.

Fieri non potuit, quin artem Graecorum aetatis Byzantinae videremus: Kaissariani, Daphni etc. Quaesivimus antiquam Spartam et invenimus Mistram Byzantinam, urbem semimortuam, sed quodammodo mysterio refertam. Ibi per tres dies mansimus linthea in rivulo limpidissimo lavantes, rudera aedificiorum considerantes, monasteria contemplantes, serpentes vitantes.

Antiquitatem Graecam quaesivimus – Medium Aevum Byzantinum invenimus. Quinque annis post Romae cum uxore degens ‘patriam in exilio’ in Collegio Graeco inveni. Orthodoxiae caput spirituale Montem Sanctum monachorum ATHOS esse legi et audivi. Ego ex eo tempore, quo comperi inter eiusdem Montis monasteria olim unum Latinum fuisse, iter ad Montem mihi proponebam. Istius Monasterii *Latini* vestigia quam libenter viderem! Facilis videbatur accessus ad Montem anno 1991<sup>o</sup>, cum in urbe Thessalonicensi millennium mortis imperatricis Theophanu celebraretur. Inter aliis contionatus sum; orationibus, discussionibus, expositionibus absolutis Rector Studii Thessalonicensis Germanos oratores ad visitandum Montem Sanctum invitavit et automobile suum et conductorem ad hoc opus explendum destinavit. Sed eâ nocte, antequam abiremus, nives ceciderunt, et inconsueto colore albo induta civitas se mane in conspectum dedit. Autoraedarius Graecus dubitabat, an eo die traiectus maris ad Montem fieret et mox telephonice certior factus est propter nives et gelu

hiemale et mare turbatum pontonem in portu manere. Excavationes archaeologicas (quae mihi iam Romae constituto odio erant) vidimus et Thessalonicam reversi sumus.

Septimo anno post unâ cum tertio et quarto nato filio denuo hanc peregrinationem suscepi. Ab Uranopoli navi profecti sumus. Socios itineris quosdam de monasterio Latinorum quaerebam, at nemo eorum, cum quibus colloquebamur, umquam de huiusmodi coenobio audierat. Benno filius tertium tabulatum navis ad fumandum ascenderat. Cum ignitabulum e bracis protraheret, id e manibus elapsum est et – dolendum valde – cecidit in profundum. Cum ad portum Daphnim appropinquaremus et nos ad descendendum praepararemus, unus itinerantium manum protendit et Bennoni ignitabulum obtulit. Miraculum nobis visum est, quod ille homo in inferiore tabulato navis constitutus tam parvam rem cadentem sibi arripuerat. Alia miracula exspectantes in terrâ istâ sanctâ pedes posuimus.

Bene exceperunt nos Iberi monachi (*Ivion*), optime habitavimus apud Caracallam (*Karakallou*), quod quasi castellum ex silvis eminent et aspectum mirum ad montem Athos praebet; qui mons marmoreus vespere roseâ luce suffusus formosissime se nostris oculis ingressit. In neutro monasterio de vestigiis Latinis quicquam compertum habebatur.

Altero die mulorum semitâ usi descendimus paene usque ad mare, viam ad Lauram Magnam ducentem persecuti. Haec via longo circuitu iterum in montana et silvas nos direxit, ubi nil videbatur nisi mons Athos et turris quaedam in summo colle posita. Turris illa speciosa in alto duobus foraminibus sive scissuris praedita erat, quibus quasi oculis fastosis et indignabundis nos laboriose procedentes observabat. Ad mare ventum est. Sub oculis malignis istius turris lavabamur. Cum intraremus mare, aqua gelida erat, cum nataremus frigida, et cum nos amoveremus a litore, calefiebat. Et e converso, cum reverteremur natantes e mari calido, intravimus sinum frigidum et pervenimus ad litus aquâ frigidissimâ conspersi. Hoc erat secundum miraculum, quod in istâ peregrinatione experti sumus. Et sequebatur tertium.

Mediis in rudibus ligneis, in quibus vestimenta deposueramus, Felix monoculum – sibi pernecessarium – perdidit. Id frater in puncto temporis invenit.

In Magnâ Laurâ garrulitatem et sordes Orientalium experti sumus, apud Skitim Rumenorum calliditatem Maghrebiorum, in viâ a Magnâ Laurâ usque ad Skitim Sanctae Annae solitudinem et sudorem, apud Pictorem monachum hospitalitatem, in monasterio Sancti Pauli tandem excessum mentis in officio nocturno, quod canticis et coloribus, verbis et imaginibus, luminibus et tenebris sensum inundat, ita ut omne theatrum mundi facile vilipendat, qui haec umquam sensibus perceperit.

Eâ nocte dormiebamus unâ cum iuveni Graeco monacho in cubiculo xenodochii Sancti Pauli. Is hospes fuerat apud monachum Pictorem et nobiscum ad monasterium S. Pauli iverat. Cum tabula lignea (*sēmantron*) pulsaretur, quâ sonante eo loci vocant ad divinum officium, et cum levarem, vidi illum monachum nostrum bene dormientem. Summo mane ad lectulum reversus inveni illum adhuc dormientem. Cum post ientaculum descenderemus ad portum, iterum offendimus in istum Graecum monachum.

- Hodie diem grandem duco, dixit.

- Quid fiet?


- Exodos. Exeo e monasterio. Montem relinquo. Exodos.

Postscriptum. Post reditum in patriam inveni in libris doctis monasterium Latinum, quod frustra quaesiveramus in peregrinatione: Ea turris, quae nos lavantes oculis adversis respexerat, erat turris monasterii quondam Amalfitanorum in Monte Sancto positorum. Et ripa, quâ mare ingressi natavimus, Morfonu dicebatur, quae vox olim Latine Amalfitanorum sonabat.

### Epilogus: Animarum Silva

Restat, ut aliqua de titulo huius opusculi et de causâ Latine scribendi dicam. Cum primum viâ ferratâ, quae trans Silvam Nigram ducit, veherer, pluviae ingentes ceciderunt, quae cum vapore, quem machinae vectoriae emittebant – una erat, quae trahebat, altera, quae protrudebat –, effecerunt, ut quasi nihil viderem. Creber sibilus harum machinarum et motio sinuosa, quae septies et tricies tractum curruum in fossam et antrum (sive cryptam aut cavam) immergebat et totidem emergere fecit, me id sentire fecit, quod optime illo palindromo dicitur:

- In girum imus nocte et consumimur igni



Postea via ferrata per Silvam Nigram ferens mihi placebat specialiter. Interdum per fenestram prospiciens titulos legebam, quae ad ingressum uniuscuiusque cavae positae eius nomen nuntiant. Sunt hi tituli sive a montibus, quos cavae secant, sive a pratis, sive a silvis derivati. Paene in culmine huius viae ferratae, cum tractus in altum evolare videtur et oculus viatoris montes et colles Silvae Nigrae longe lateque prospicere et tamquam accipitris sive buteonis oculus profunditates vallium scrutari potest, ter legitur: Seelenwaldtunnel. Haec vox, cum eam primum legerem, mentem perculit.

Cum annus bis millesimus inciperet, mecum cogitavi congruum esse, ut etiam in tertio millenio post Christum natum aliqua opuscula Latine scripta prodirent. Et hanc linguam aptissimam esse, ut de me ipso scriberem, cum intervallum inter scribentem et scripta

augmentaretur. Die primo Ianuarii anni bis millesimi scribere coepi et die primo Iulii eiusdem anni finem feci. Doleo, ut verum fatear, tot proximos hanc Animarum Silvam legere vix posse; gaudeo econtra non paucis id opusculum facile patefieri et spero fore, ut quam multi, quibus haec interesse possunt, vim et facultatem acquirant legendi et intellegendi id, quod eâ linguâ scriptum est, quae diu apud nostrates quasi sermo patrius habita est. Si tibi displicent, quae legisti, da veniam, candide lector; si quaedam invenisti, quae placere possint, scriptoris opusculi recordare. Vale!

## Voces et iuncturae minus usitatae

*accipiter* Habicht  
*admissarius* Hengst  
*aedilitas* Bauamt  
*aeronavis* Flugzeug  
*agitare* steuern (Automobil)  
*antrum* Tunnel  
*apus, -odis* Mauersegler  
*amictus chemicus* Laborkittel  
*aridae colores* Pastellfarben  
*ascensorium* Aufzug, Fahrstuhl  
*Augia* Reichenau  
*autopsia* Augenschein, Einsichtnahme  
*autoraeda* Omnibus  
*autoraedarius* Chauffeur

*baroca aetas* Barock  
*bellaria* (pl.) Gebäck, Nachtsch  
*bibliopola* Verleger  
*birota* Fahrrad  
*bracae corio consertae* Lederhose  
*bubalus* Büffel  
*bucinator* Posaunenbläser  
*Buranum* Beuron  
*buteo* Bussard

*cacaotica* Schokolade  
*caupona* Wirtin  
*cava* Tunnel  
*claustrum* Kreuzgang  
*coffea* Kaffee  
*conclave* Zimmer  
*conducere* mieten  
*confessorium* Beichtstuhl  
*consobrinus* Vetter  
*cortis* Hof  
*crustulum* Plätzchen (Gebäck)  
*Crypta Ferrata* Grottaferrata  
*cultrarius* Messerschmied  
*currus oppidanus* Straßenbahn  
*currus sarcinarius* Gepäckwagen  
*cursus publicus* Post  
*custodiarium* Garage  
*custos publicus* Polizist

*Dominica in Albis* Weißer Sonntag  
*Dominicopolis* Santo Domingo  
*Dryopolis* Eichstätt



*erinaceus* Igel  
*exquirium* Eichhörnchen

*Fauces* Füssen  
*feles* Katze  
*frenare* bremsen

*gerontocomium* Altersheim  
*Guntia* Günzburg

*haematiticus* blutsteinfarben  
*Hispaniola* Dominikanische Republik (Osten) + Haiti (Westen)

*Ianua* Genua  
*ientaculum* Frühstück  
*ientare* frühstücken  
*ignitabulum* Feuerzeug  
*illuminista* Buchmaler  
*imago translucida* Diapositiv  
*impedimentum* (großes) Gepäck  
*incursio aerea* Luftangriff  
*inflexio* Kurve  
*Iuvavum* Salzburg

*labrum cummeum* aufblasbares Planschbecken  
*lacinia* Fleck  
*Lacus Potamicus* Bodensee  
*lagoena* Flasche  
*lamina fictilis* Kachel  
*ludus pueritiae* Kindergarten

*machina vectoria* Lokomotive  
*maiza* Mais  
*manus (bananarum)* Prätze  
*Mare Orientale* Ostsee  
*matertera magna* Großtante  
*mensa plicabilis* Klapptisch  
*mensa scriptoria* Schreibtisch  
*ensorium* Tablett  
*merula* Amsel  
*Mons Sanctus* 1. Heiligenberg 2. Athos

*navicula cummea* Schlauchboot  
*nosocomium* Krankenhaus  
*nucifraga* Tannenhäher  
*nundinae Lipsienses* Leipziger Messe

*opus denticulatum* Spitzenstickerei  
*opus pistrinum* Backwerk  
*Ordo Cruciferorum* Kreuzherrenorden

*pagina* Spielkarte  
*paginis ludere* Karten spielen  
*parasceve, -es* Karfreitag  
*parus* Meise  
*pastillum fartum* Sandwich  
*Patres* Kirchenväter  
*pecunia mutua* Kredit  
*peregrinatio declamatoria* Vortragsreise  
*picus* Specht  
*plaustellum* Handwagen, Leiterwagen  
*podium* Erker  
*ponto* Fähre  
*popina* Gastwirtschaft  
*protrudere* schieben

*raeda* Kutsche  
*reconstruere* rekonstruieren  
*reditus* Einkommen  
*Regius Mons* Königsberg 1. in Franken 2. in Ostpreußen  
*rubecula* Rotkehlchen  
*rubus* Brombeerbusch

*sacciperium dorsale* Rucksack  
*saltuarius* Förster  
*scarabaeus melolonthas* Maikäfer  
*seligere numerum* (Telefon)Nummer wählen  
*sepsis* Blutvergiftung  
*sexagesima* Minute  
*Sicarii Secreti* die 'Staatssicherheit' (STASI)  
*smaragdeus* smaragdfarben  
*studiolum* Studierstube  
*sustentaculum sarcinae* Gepäckträger (am Fahrrad)

*tabella* Liste  
*tabulatus* Stockwerk  
*terra Ambrosiana* Bereich der ambrosianischen (mailändischen) Liturgie  
*tonsillectomia* Mandeloperation  
*tractus* Zug  
*trochilida* Kolibri  
*troglodytes* Zaunkönig  
*tubulus neonicus* Neonröhre  
*typis conscribere* maschinenschreiben

*Velum Ferreum* der Eiserne Vorhang  
*via ferrata* Eisenbahn  
*Vinda* Wertach

*Yburninga* Überlingen